



**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibitent Benè Vivendi
Et Benè Moriendi**

Balde, Hendrik

Ipris, 1689

7. Cap. De fine, ad quem homo est conditus.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-56447

18 **V E R I T A T E S**

lisse videbantur in cælum, è bonis mali effecti lamentabili casu in æternum existitum deciderunt.

Non nisi momento opus est, ut è Sancto quis fiat impius, atque æterni reus incendijs.

Multis nocuit, inquit Seneca, diu vixisse.

Sinite me mori, exclamabat B. Aloysius de Gonsaga, jam morti proximus, quamquam viginti dumtaxat, & quinque annos vivendo explèsser: Si enim vita mihi superst̄ longior, qualis etiamnum futurus sim, nescio.

Rectè magnus Guigo (a) Longam temptationem petit, qui longam vitam petit.

Deus ab aeterno prævidit & cognovit, quid esse facturus, si tali in domo cum tali personâ degeres; si tali tempore & loco tam vehementi urgereris temptatione; cognovit, inquam, esne illi præbiturus consensum, an contrà negaturus.

Quocirca si Deus te mundo eximat, ne forte in gravia peccata prolapsus interreas, immenso quodam, ac singulari te afficit beneficio, de quo sunimas illi referes in cælo & immortales gratias.

C A P V T. VII.

De fine, ad quem homo est conditus.

VNICA dumtaxat res tempore vitæ tuæ à te exigitur, unicum dumtaxat re-

(a) *De Tranq. c. 5.*

quiritur

quiritur studium, cura scilicet salutis
propriæ.

Non te creavit Deus ad hunc finem, ut
Papa, Rex, senator, opulentus, potens
fias, ac eruditus, ut corpus laute habeas,
ad luxum exornes, illique quidquid ap-
petit, subministres; verum ut ei fideliter
serviens salutem consequare.

Hoc unicum studium tibi cordi esse præ-
cunctis aliis debet: cetera enim omnia
ad illud comparata nugæ sunt & puer-
rum crepundia.

Si quis, in urbem cum venisset litis per-
sequendæ causa, unde & honor, & vita,
atque universa ejus fortuna pendet, ad
jocos, ludosque, & choreas adiiceret
animum, nullâ habitâ litis ratione; nō
ille meritò demens diceretur.

At longè poliori jure tu demens dicen-
dus es & à rectæ rationis usu alienus, si
salutis tuæ cura, cuius tanti interest,
quamque ut promoteas, in lucem suscep-
tus es, minus tibi cordi sit, quam futilia
quevis, atque caduca hujus mundi negotia.

Res quælibet juxta naturam suam ope-
rari, cumque, ad quem conditæ sunt, fi-
nem assequi debent.

Sol ad illuminandum creatus, si lumen
suum mortalibus neget, erit perinde ac
si

si non esset, vel potius mundo gravem in-
cutiet metum & horrorem: sic & nihil
magis absconsum, atque infructuosum,
nihilque magis horrificum est. quam ho-
minis animus, qui cum nullum in finem,
nisi ut Deo serviat, procreatus sit, non
ex integro se ipsius servitio devovet.

*Qui Deo non vivit, is qui vivat, in-
dignus est. Totum te exigit, ait S. Augusti-
nus, qui totum te fecit.*

Prodeesse nequaquam tibi poterit, quod
hoc anno incedas auro argentoque gravis
si proximo nudus, & rerum omnium egenus
virtutisque expers coram tremendo atque
justissimo sistendus sis judice; nec quid-
quam emolumenti hauries ex rebus om-
nibus creatis, si per totam eternitatem
suavissimo Dei privandus sis conspecu-

C A P V T . V I I I .

Plurimi salutem animæ sua negligunt.

Maxima pars mortaliū nullā de re
minus cogitat, quam de negotio sua
salutis. Vacat tibi ut Philosophus sis, non va-
cat tibi, ut Christianus sis, ait S. Paulinus.

Rerum omnium curam habent, pra-
terquam animæ sua; studiosè satagunt, ne
domus longo tempore inculta vacent,
cinea ne vestes corrodant atque exedant;
curculio